COLLYRIUM THEODORO DE COCK DONO MISSUM PER M.M.A.P.C. CORDIS AMICITIA

Digitized by Google

THEODORO CoCkIo

gratIaM

POENITENTIÆ.

Memor eſto unde excideris: & age pænitentiam, & prima opera ſac. Apoc. 2. 5.

Humanum labi eſt: ſed poſt delicta rigentem
  Indurare animum, dæmonis eſſe reor.
Læſiſti, Theodore, * Patrem, patriamque, Deumque:
  Si ſapis, absque morà procide, plange, geme.
Nec frende in Muſam, quæ talia Chronica cantat.
  Pharmaca ſint potius tum medicina tibi.

* Archiepiſcopum Sebaſtenum.

Digitized by Google

THEODORUS DE COC.

ANAGRAMMA.

TU COR HOC DEO DES.

Præbe, fili mi, cor tuum mihi. Prov. 23. 26.

COr, Theodóre, tuum ſplendeſcens Infula traxit.
Huic adipiſcendæ nocte dieque ſtudes.
Sed quid moliris, miſer? inſatiabile pectus
Haud implere mitræ gloria vana potis.
Ergo æſtum retine, *tu cor hoc deſ*que ſupremo
Cunctorum Domino, zelotypoque *Deo.*

aMbItIone CeCIDIt.

Dejeciſti eos dum elevarentur. Pſal. 72. 18.

Heu quantos ſtravit dominandi fœda libido!
Heu quos & quales perdidit illa viros!
In cœlum ſuſtolle oculos, circumſpice terram,
Undique proſtratos ambitione vides.
Hoc (*a*) Romæ afflatus vento ferebaris in altum:
Scilicet ut lapſu jam graviore ruas.

(*a*) Honores, Cathedras, dignitates ambire, apud Romanos plerumque in honore potius quam in vitio eſt.

ab optIMo epIſCopo DefICIt.

Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis. Heb. 13. 17.

Te te compello, dic qualem provida Roma
Paſtorem Batavis (*a*) te ſatagente dedit?
Nonne virum, cui ſana fides, cuique integra vita,
Quem nullo victum crimine Roma premit?
Et nunc quæ ratio, quòd tandem à Præſule tanto
Deficis? ambitio, prætereàque nihil.

(*a*) Sub Innoc. XI. Ao. 1688. Cockius, Romam deputatus, Sebaſteno ad infulas evehendo adlaboravit.

DIſſIDIa aCCenDIt.

Væ homini illi, per quem ſcandalum venit. Matth. 18. 7.

Undique Catholicam diſcerpunt ſchiſmata plebem:
Quæritur & tanti fons & origo mali.
In Clerum innocuum (*b*) culpam tu conjicis omnem;
Cum tamen ardoris ſit rogus iſte tui.
Nam ni tu blando flagraſſes munere fungi,
Plebi Catholicæ pax requieſque foret.

(*b*) Clerus non eſt cauſa diſſenſionis: quia jure adhæret ſuo Epiſcopo, de quo hactenus, quid deliquerit, non aperitur.

obeDIentIæ ſpeCIe orbeM faLLIt.

Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Act. 5. 29.

Papa jubet, dicis, rerum cui ſumma poteſtas:
Detrectare nefas, quod pater ille jubet.
Sic eſt, mi Cocki, (*c*) niſi lex Divina repugnet;
Et niſi mandatum ſcandala magna creet.
Tale eſt (*d*) cui pares: virtutis imagine plebem
Ludis, & incautam callidus arte capis.

(*c*) Namrum dicendum cum Petro: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*

(*d*) Ex libellis hucusque editis liquet, mandatum Pontificis, de quo hîc, vergere in maximam Sebaſteni infamiam, in Cleri ruinam, in offendiculum puſillorum & fortiorum &c.

pon-

pontIfICeM DeCIpIt.

Sicut novacula acuta feciſti dolum. Pſal. 51. 4.

Quis numeret conficta dolo (*a*) mendacia turpi
Contra Sebaſtenum Presbyteroſque ſuos?
Nempe viros aliter tantos haud perdere quibas,
Quos conſtans pietas, relligioque tenet.
At: Num Pontifici obtrudi mendacia poſſunt?
Quidni? (*b*) cum Sociis credat, & ipſe homo ſit.

(*a*) Integra plauſtra teſtimoniorum, ſcriptionum, &c. Romam miſſa ſunt; ex quibus, ſi in ſtatera æquitatis appendantur, vix unum veritati conſentiet. (*b*) Doctrina Jeſuitarum de calumnia, ex Dicaſtillo & aliis innumeris notiſſima eſt. Cum ergo Clemens XI. ſummam hiſce Patribus, quaſi integerrimis, fidem habeat; quid mirum ſi Sebaſtenus ſub calumniis Pontifici obtruſis fatiſcat.

De faLſo MartIrIo InſoLeſcIt.

Nemo veſtrum patiatur ut maledicus, aut alienorum appetitor. 1. Pet. 4.

Perſequitur te ſacra Themis: (*c*) tu dulcia linquis
Limina, & externo quæris in orbe fugam.
Audit Papa: & Martyrii te laude decorat.
Quid tu? Plaudis, ubi fletibus eſſet opus.
Relligio non cauſa fugæ, ſed ſcripta proterva:
Ergo Martyrii gaudia falſa tui.

(*c*) Vide programma ab Ordinibus Hollandiæ publicatum 1703. die 8. Auguſt.

DeLetor CLerI & MIſſIonIs.

Exterminavit eam aper de ſilva, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Pſal. 79. 14.

Ergone ſævus aper (*d*) poſt tot molimina Clerum
Vaſtas, cui mundi non tulit ora parem?
Vaſtas haud dubiè: dum, te ſuadente malignè,
Roma facit quod vult, arbitrioque regit.
Et nos Romanam colimus Sedem quaſi Matrem:
At pia ſit petimus, non violenta parens.

(*d*) Ab annis centum in hoc incumbunt Jeſuitæ, ut Romanis, ſatis ad ſimilia avidis, perſuadeant in Hollandia non eſſe Clerum, hoc eſt Paſtores; ſed Miſſionarios dumtaxat, pro nutu & arbitrio Pontificis amovendos.

Digitized by Google

arChIpresbIteros DoCtos & DIgnos DeponIt.

Dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis. Iſa. 3. 4.

Archipresbyteros (*a*) tam grandi munere dignos
Tollis, (*b*) & indignis injicis illud onus.
Sed dic: Unde tibi venit hæc, Theodore, poteſtas?
Romà, inquis. At num talia Roma poteſt?
Ergonè inauditos, & nullo crimine victos,
Exſpoliare (*c*) poteſt munere Roma ſuo?

(*a*) Catium, Huſſium, Eikelium, Kuykium, Swanium, Coetenburgium, &c.

(*b*) Wijkio, Ploegio, Foxio, Lentio, &c.

(*c*) Si in Hollandia eſt Clerus: ut revera eſt, & non obſtantibus tantis Jeſuitarum conatibus Romæ ſemper fuit agnitus; non poteſt illic Pontifex Archipresbyteros &c. ſine juſta cauſa & proinde nec inauditos indefenſosque deponere.

fIgMenta Contra IanſenIſtas præDICat.

Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem. Iſa. 5. 10.

Jansenista quater denis plus quæritur annis;
Sed qui ſint, & ubi, prodere nemo poteſt.
Tu monſtrum Batavo reperiri limite credis,
Et figmenta probas, (*d*) quæ mala lingua crepat.
Scilicet inviſo ſub nomine Jansenistæ
Tutius in ſanctos, ut libet, ira furit.

(*d*) Conſtat Cockium in cælum ferè extuliſſe libellum Memorialem, quo inanitæ calumniæ contra prætenſos Janſeniſtas in Hollandia continentur.

ſoCIIs ſe Dat ManCIpIo.

Cunctique ſervi Regis flectebant genua, & adorabant Aman: ſic enim præceperat eis Imperator. Eſther. 3. 2.

Vah quid agis, Cocki? (*e*) Jeſuitas conſulis, audis,
Devincis? peragis quod jubet atra cohors?
Nonne vides ipſos per te ſua quærere lucra,
Et velle imperio ſubdere cuncta ſuo?
Sed ſic fata volunt: Socios habeamus amicos:
Nam ſine Jeſuìtis nil modò Roma dabit.

(*e*) Cockium Jeſuitarum eſſe mancipium & inſtrumentum, eumque nihil egiſſe, aut agere niſi ipſis ſuggerentibus & impellentibus; neminem jam poteſt latere: præſertim dum attendit ad quos confugerit, & [illegible] eum hic & Romæ protegant.

ethI-

Digitized by Google